B. N. C
FIRENZE
1064
18

1064.18

64.10

17

EPICEDIUM

QUO PIIS MANIBUS

ADMODUM REVERENDI AC EXIMII PATRIS,

MAGISTRI NOSTRI

CHRISTIANI
LUPI,
IPRENSIS,

In Alma Univerſitate Lovanienſi S. Theol. Doctoris
ac Profeſſoris Primarii & Regii,

EREMITARUM S. P. AUGUSTINI

NUPER

PRIORIS PROVINCIALIS DIGNISSIMI,

Magno Ordinis ſui & Academiæ Lovanienſis damno
è vivis erepti,

Pangens & plangens Parentabat Cœnobium
D. P. Auguſtini Lovanii.

FLORENTINAE BIBLIO

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

LOVANII,

Typis MARTINI HULLEGAERDE, Anno 1681.

OCcidit ergo LUPUS ? dixi ſat : flete Camœnæ,
Lugete *Grudia* pulpita.
Manibus ingratum *Eximiis*, nîl pangere honori
Nec fata metro plangere.
Pro Doctorali lauro jam viſa Cupreſſus
Expreſſit oculis lachrymas.
Spontè ciet fletus nimiùm lachrymabile funus;
Vocanda non eſt Præfica.
Flere lubet, ſacrâ dum magnus in arte *Magiſter*,
Heu ! CHRISTIANUS occidit.
Tam docti ſubrepta LUPI ſapientia, jure
Eſt orbe toto flebilis.
Scilicet illius ſe totum extendit in orbem
Vis CHRISTIANI nominis.
Aurelii Ordo gemas ; tua lux, ceciditque columna,
Sublata tua jam gloria eſt.
Aſt fle præ rêliquis Provincia Belgica, tanto
Nunc deſtituta Præſide.
Cujus ſupremum nuper prudentia clavum
Tam *Chriſtianè* rexerat.
Pro cujus requie, requiem ſibi ſæpe negavit,
Paciſque olivam contulit.
Utque LUPUS ſervaret oves, Virtute præivit,
Et Regulæ obſervantiâ.
Quo, Capitis noſtri cecidit, labente, corona,
Quem ſtupuit Univerſitas.
Zonigeri ut fuit hic amor Ordinis, Ordine toto
Dolor eſt, ademptus filiis.

Heu! jacet hic, per quem ſteterat ſacer Ordo, tacetque
Jam *Grudiorum* Oraculum.
Grudia non minùs hunc Tu luge *Academia* Patrem,
Citò nimis abreptum tibi.
Ejus quàm fuerit *Romæ* venerabile nomen,
Romæque charum vertici,
Nôſti, quid *Roma* pro te perfecerit, illic
Qualem Patronum ſenſeris.
Heu! quid in hoc perdas neſcis *Academia* neſcis,
Quem *Roma* ſic ſuſpexerat.
Quem retinere ſibi voluit Urbs clara Quiritum,
Et voluit *Innocentius*.
Quis ſcit purpureum num forſan *Roma* Galerum
Huîc deſtinaſſet vertici?
Aſt humilis talem Vir declinavit honorem,
Amans quietem cellulæ.
Purpereos tamen hic Patres, Caput Urbis & orbis
fecit favere *Grudiæ*.
Cujus [illegible]perâ, ne vis inimica reſurgat,
[illegible] indigebat tempore.
Ah [illegible]a nimis *Grudiis* invidit *Athenis*,
Quæ magna quæque diſſecat.
Parca illos rapiat, quos ſegnis inertia damnat,
Ignava tollat germina.
Parcat at *Eximiis* Sophiâ & Virtute *Magiſtris*,
Queis eget adhuc Eccleſia.
Debuerat mors hìc falcem differre, paratos
ne diſſecaret Codices;

Et quæ reſtabant Scholiis decoranda notiſque,
Tot rara Patrum pignora.
Aſt Doctorali non parcit Parca coronæ;
Laurus Cupreſſo vertitur;
Qui vitam Faſtis dederat pereuntibus, illi
Heu! vita Fato demitur.
Prô dolor! i[illegible] LUPUS ſacræ tutela Palæſtræ,
Occi[illegible] *ſprarum* gloria.
Romanæ vindex Cathedræ, quam præpete pennâ,
Et *Chriſtianâ* tuitus eſt.
Quem Sophiâ excultum coluerunt artis alumni,
Scientiarum Præſides.
Simplicis integritate animi, morumque ſacrato
Candore Vir notabilis.
Et mente, & mento canus, Vir dig[illegible]s amari,
Modeſtiâ ſpectabilis.
Ille Tribunalis ſacri Judexque, Paterque,
Cynoſura pœnitentium.
D[illegible] Faſtu, ſummis Vir charus & imis,
Mentis humilis lararium.
Quem *Tagaſtenſi* decoraſſet *Roma* Tiarâ,
Niſi renuiſſet humilitas.
Relligionis honos, afflictorumque levamen,
Medulla Conſi exaruit.
Heu! LUPUS antiqui præcellens moribus ævi,
Antiquitatum ſcrinium.
Helluo librorum aſſiduus, Patrumque ſacrorum
Scrutator exactiſſimus.

Qui-

Quique *Auguſtino* vixit, ſudavit, & arſit
Contritionis ignibus.
Ille *Facultatis ſacræ* flos falce reciſus:
O triſte damnum *Grudiis*!
Dignus, quem Cathedrâ decorarit Principe Princeps,
Primarioque munere.
Pulpita quem dudum ſpectaſſent ſacra docentem,
Et *Chriſtiana* dogmata;
Nî morbi vis dira LUPUM cruciaſſet, eumque
Tumulo dediſſet proximum.
Invide morbe! LUPO cur hunc prædaris honorem,
Faciſque prædam vermium?
Quàm *Grudiæ* poterat calamo prodeſſe palæſtræ,
Prodeſſe toti Eccleſiæ;
Teſtantur *Canones Synodorum*, & dogmate clarus
Tertullianus redditus.
Romanam ad Petri Cathedram Appellatio, firma
Aſſerta ſcriptis inclytis.
Cæteraque ingenii monumenta probata *Lupini*,
Quæ nemo carpat Zoilus.
Manè *Lupus* rapuit, ut veſperè dividat eſcas,
Prædaſque opimas Palladis.
Aſt obiit, pariterque ſuo cum funere condit
Tot rara mentis pignora.
Multa olim paſſus, ſed Cælo Vindice liber
A caſſibus venantium.
In Senio cui non ſenuit virtuſque, laborque;
Sed Jubilæo floruit.

Vir patiens, dociliſque mori, librûmque ſacrorum
Meditationi immortuus.
Non hic triſte Lupus ſtabulis Eccleſia veſtris,
Lupos qui atroces arcuit.
Ille quidem placidus, ſed acuti dentis & oris
Eccleſiæ adverſariis.
O quot vel ſolo fecit rauceſcere viſu!
Nempe Lupus erat in fabula.
Dignus erat certè ad Pyliam ſupereſſe ſenectam,
Benè meritus de Eccleſiâ.
In *libro vitæ* conſcribi dignus in ævum,
Tot celebris editis libris.
Sed benè habet. Supereſt Virtus, doctrina Magiſtri,
Victura Famâ poſthumâ.
Non omnis moritur, Famâ qui vivit in orbe,
In axe qui virtutibus.
Hoc luctum minuit, quod agat jam lœtus Olympo,
Eccleſiæ ad ſolatium.
Sic cælum rapuiſſe juvat; ubi dives opimâ eſt,
Prædâque non inglorius.
Aut potiùs cælum hunc rapuit Virtute rapacem,
Cælo ut fruatur perpetim.
Vir magne has lachrymas, & acerbos accipe planctus,
Queis tibi parentant Filii.
Intereà tumulo juvat hæc inſcribere verba,
Ut uſque vivas poſteris.

EPI-

EPITAPHIUM.

HOc quis ſub tumulo recubet, vis ſcire Viator?
Hic CHRISTIANUS eſt LUPUS.
Eſt LUPUS ille rapax, rapuit qui ſæpè medullam
Sacratiorum Codicum.
Eſt LUPUS, aſt feritate carens, qui moribus agnum
Expreſſerat mitiſſimum.
Bibliotheca loquens, Decus Ordinis atque Lycæi,
Miraculum ingens memoriæ.
Doctrinæ vindex ſolidæ, Patrumque medulla,
Fatali in Urna conditur.
Mnemoſyne, ingenium, doctrina, modeſtia, candor
Cum CHRISTIANO jam jacent.
Ut verbo abſolvam, *Chriſto* victurus in aſtris,
Qui CHRISTIANUS vixerat:
Sobrietatis amans, inopum ops, Virtutis imago,
Eſt *Chriſtianè* mortuus.
Non jacet hìc omnis, meliori parte ſuperſtes,
Qui ſcriptus eſt *Vitæ libro.*

CHRONICON

eheV! obIIt MagIster LVpVs, VnIVersItatIs DoCtor.

ALIVD

InsIgnIs hVIVs aCaDeMIæ fLos eXarVIt.

CHRONICON

Anni, Menſis & Diei

eheV! ChrIstIanVs grVDIIs DenatVs est Dena IVLJ.

CHRONICON

ChrIstIanVs LVpVs Deo et hoMInIbVs gratVs obIIt.

99 959627 JIV L 1004 18

MC